

7. N. D. A.

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

CREDULITATE, IN STUDIO  
HISTORICO VITANDA,

---

QUAM

*Conf. Ampl. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,*

PRÆSIDE

*Mag. JOHANNÉ BILMARK,*

*Histor. ac Phil. Pract. Prof. Reg. & Ord.*

*Publicæ disquisitioni subjecit*

*ULRICUS WILHELMUS NORRMAN,*

*Sudermannus,*

*In Audit. Maj. die XXVI. Nov. An. MDCCXCIV,*

*Horis ante meridiem solitis.*

---

AEOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS,

*Frälse - Inspektoren,*

Högaktad

*Herr PETER NORRMAN,*

Och

*Dygdädda Fru,*

*HELENA ELIS. DUNCLER,*

*Mine Huldaste Föräldrar,*

*Denna dagen räknar jag med skål bland de gladaste och sällaste i hela min lefnad, på hvilken jag får med detta Academiska arbete tillfälle betyga min årkånsla och tacksamhet för otalige af Mine Hulde Föräldrar åtnjutne vålgärningar, samt kraftigt försäkra, at, i brist af vederläggning, aldrig uphöra med vördnad förblifva*

*Mine Huldaste Föräldrars*

*Lydigaste Son*

*ULRIC WILHELM NORRMAN.*



## PRÆFATIO.

Quum hominibus sæpissime contingat, ut diversis differantur judiciis; nemo miretur, ingenii illorum foetus, artes nimirum & disciplinas, variam quoque variorum expertas fuisse censuram. Inter has autem si Historia cæteris fuerit parcius suggillata, hoc non tam Lectorum indulgentiæ, quam potius ipsius disciplinæ indoli, qua vix ulla alia datur, quæ majorem vel delectationem, vel utilitatem intra circum Philosophicum suis præstat cultoribus, erittribuendum. Sicut enim sciendi studio omnes a natura tenemur, & facta hominum sunt, quæ nos proxime tangunt; ita amplissimum horum theatrum nobis spectandum præbet Historia. Cujus, quæso, animus non pascitur modo, sed quasi saginatur, dum præcipuos rerum eventus, nec non facta in toga & sago dextre gesta, in Historia fideliter & accurate adeo enarrata legit, ut illos post plurimum licet seculorum decursum coram quasi cernere, & his vel interesse vel adesse sibi videatur, simulque perspicere, quo consilio & animo Heroës ad propositum contenderint finem. Quæ quidem

dem oblectamenta qua partem illis etiam obveniunt, qui Historiam obiter perlustrant; qui autem aciem ingenii inter legendum intendunt, in hac disciplina insuper animadvertunt consiliorum ac moliminum motiva, utrorumque prosperos vel adversos casus, magnas rerum humanarum vicissitudines, & in his admirandam Dei œconomiam, varia vitæ humanæ exempla, ceu totidem viva virtutum adhortamenta & a vitiis avocamenta. Quocirca tamen non erit dissimulandum, in studio Historico duos potissimum occurrere offensionum scopulos, *nimiam videlicet credulitatem & pertinacem dubitationem*; quarum illa Lectorem ultra veritatis oleas evagari sæpe facit, hæc autem progressum ejus iterum iterumque retardat; quare quum hanc in egregia dissertatione, in hoc Athenæo nuper edita, explicatam habeamus (a); visum etiam mihi fuit, specimen meorum in litteris progressuum edituro, bona Lectoris venia, quam mihi enixe expeto, tam argumentis, quam selectis ostendere exemplis, credulitatem in studio Historico esse vitandam.

(a) Vid. *Præc. Magistri Job. Bonsdorffii Specimen de Scepticismo Historico*, Præside Cel. Professi. H. G. PORTHAN An. 1792 editum.

§. I.

Quum in confessio sit, maximam cognitionis humanæ partem ab experientia esse repetendam, nemo autem mortalium omnia experiri possit, obstantibus ipsi animæ nostræ facultatibus, ætate, loco & tempo-

po-

pore (a); necesse omnino est, ut ex aliorum, quæ experti sunt, narrantium testimoniis nostram augeamus cognitionem. Hæc vero testimonia respiciunt *facta*, seu ejusmodi res, quæ non per ratiocinia, sed sensuum ope intelliguntur. Quo circa quum multi opinentur, sensus nostros fallere, in Historia autem proponantur *facta*, seu res ope sensuum perceptæ, admissa dicta hypothese, non tam mirandum, veris falsa in studio Historico esse admixta, quam potius quod veri quid in hoc reperiat. Enim vero quum Deus nobis concesserit sensus in nostram felicitatem, præsumi nec potest nec debet, eos in se esse fallaces, sed in ideis animæ subministrandis sequi leges in natura sapientissime constitutas; unde consequitur, sensibus legitime & instructis & adhibitis, animam sibi formare ideas objectis, quæ sensus sunt experti, convenientes, omnisque proinde fallaciæ, postmodum animadversæ, culpam præcipitato hominis judicio esse tribuendam. Licet igitur *facta*, in Historiarum monumentis occurrentia, ob infinitos, quibus variant, modos, qua eorum existentiam & qualitates ita demonstrari nequeant, ut plenam obtineamus certitudinem; sæpius tamen nostra efficere possumus indulgentia, ut ad probabilitatem, certitudinis fere æmulam, perveniamus. Duo autem sunt momenta, quibus factorum, ab Historicis commemoratorum, veritas nititur, ut fidem eis habeamus, quorum alterum respicit *Historicum*, alterum vero *conditionem facti*; ab illo postulatur, ut rem, quam narrat, sibi probe perspectam habuerit,

& in eo sincerum eluceat propositum, a veritatis tramite non declinandi, in *facti* præterea commemoratione requiritur, ut nihil vel impossibile vel commentitium contineat; quibus præstructis, fidem tali testimonio nemo, nisi ex scepticismi malo laborans, denegabit. Bene enim ex nostra sententia *J. P. CROUSAZ*: *Il est certain, que quand toutes ces preuves s'unissent, un homme, qui y fait attention, se trouve forcé à s'y rendre, & à croire avec la même certitude qu'il croit ce qu'il a vu de ses yeux, ce que des témoins ainsi caractérisés déposent. Il n'en est pas autant frappé, mais il n'en doute pas plus. Celui qui a toutes les raisons possibles de croire, & qui pourtant ne croit pas, est sans excuse dans son incredulité, puisqu'il ne veut pas faire usage de sa raison (b).*

- (a) *Je ne pouvois exister à la fois dans tous les tems & dans tous les lieux. Je ne pouvois palper, voir, entendre, examiner tout par mes propres sens; il est néanmoins une foule des choses, dont je suis intéressé à connoître la certitude, ou au moins la probabilité, & qui se sont passées long tems avant moi, ou dans les lieux fort éloignés, C. BONNET Palingenésie Philosophique Tom. II. p. 203. (b) Vid. Système de reflexions Tom. IV. p. 88.*

§. II.

Per *credulitatem* intelligimus animi dispositionem, qua quis alterius narrationi, quæ aliquam modo verisimilitudinis speciem habet, facilem præbet assensum. Quantum igitur in fidem Historicam, probabilitate  
nix a m



nixam, in defectu peccat Scepticus, de omnibus factis dubitans, tantum eidem in excessu adversatur credulus, quicquid legit vel audit, carbonaria fide, ut verum, recipiens. Credulitatem illam ex duobus potissimum fontibus, ignorantia videlicet & socordia arcessendam esse arbitramur. Qui enim in ignorantiae hæret tenebris, hujus animo nulla insunt principia, ad quorum tenorem qualitatem rei narratæ examinare posset, quum tamen naturali feratur sciendi desiderio, ut verum assumit, quicquid alii, ut tale, ei proponunt. Præcipue autem testimonio Scriptoris, auctoritate in republica sive civili sive litteraria conspicui, magna passim habetur fides; multi enim Lectores sibi persuadent, neminem se ad scribendum accingere de aliis rebus, quam quas sibi perspectas habet, secus enim facientem haud exiguam cum famæ, tum dignitatis jacturam passurum; parum cæteroquin solliciti, ex quibus fontibus sua irrigavit arva. Et si quis in theatrum Historicum prodeat, magna testium cohorte commitatus, ejus narrationem eo magis probandam censent, quod vix præsumi queat, plures, diversis temporibus & regionibus viventes, in falsum factum, posteritati tradendum, conspirare potuisse. Nemo forte ignorat, Cardinalem *BARONIUM*, inter Proceres reipublicæ Litterariæ sua ætate habitum, pro vero venditasse, quod de *Marsilio Ficino* vulgo narrabatur, eum scilicet ex pacto post mortem suam rediisse ad mercatorem quendam, & hunc eo modo de immortalitate animarum humanarum convicisse; in cujus facti

Et veritatem credulus vir hæc subjungit: *Haud inexplorata refero, sed quæ complurium Eruditorum Virorum scimus assertione firmata, imo & a religiosis viris ad populum pro concione sæpe narrata* (a). O! magna magni viri simplicitas; qui meminisse debuisset, sententias non ex numero, sed ex pondere esse æstimandas. Sæpe quoque contingit, ut facti cujusdam probabilitas ex antiquitate Scriptoris censeatur, & jus proinde præscriptionis argumentis Historicis æque, ac possessionibus civilibus, invita tamen veritate, applicetur. Si insuper Scriptor suo indulgeat ingenio & hujus laureolam quærat, judicia sua factis enarrandis apte adeo innectit, ut res tam diversæ non nisi unum constituere corpus patentur; quo quidem modo magna amplæ credulitati præbetur materies; in quem vero scriptorem quadrat *QUINTILIANI* de Clitarcho judicium: *Clitarchi probatur ingenium, fides infamatur* (b). Ab altera parte solertia quorundam Lectorum facit, ut Scriptori, rem ingeniose narranti, faciles credant, quales præsertim sunt, qui existiment, Eruditos ad consignandas Historias hoc tantum animo accessisse, ne deforet hominibus, labore vacuis, otioque indulgentibus, quo tempus, tædii plenum, sine magno quodam dispendio fallerent.

(a) Vid. *Schelvigii dissertat. de apparitionibus mortuorum* § XXII. (b) *Vid. Institut. Orator. p. m. 459.*

§. III.

Sicut olim, dum ignorantiae tenebræ orbi pene universo incumbabant, superstitio mentes plurimorum

fa-



fascinabat; ita mirum non est, si homines absque prae-  
 vio examine verum esse crederent, quicquid aliquam  
 religionis speciem prae se ferret. Cumque praeterea  
 plerisque esset persuasum, eam religionem esse verissi-  
 mam, quae longam producere posset seriem miracu-  
 lorum, quibus Deus specialem suum ad facta homi-  
 num concursum indicat; factum est, ut Monachi, huic  
 persuasioni in suum lucrum obstetricantes, extraordi-  
 naria facta ab ecclesiae Romanae Defensoribus tam  
 vivis, quam pridem demortuis, peracta continuo cre-  
 parent, Auditores suos sensim advesefacturi, rebus  
 quantumvis incredibilibus fidem habere. Hinc con-  
 ficta a Coenobitis miracula in scriptis Historicorum  
 medii aevi utramque ferme paginam constituunt, &  
 raro contingit, ut quid obiter & quasi per transen-  
 nam commemoretur, sive Ecclesiae conditionem sive  
 statum publicum spectans. Exempla quaedam credu-  
 litatis, ex hoc fonte derivandae, in medium attulisse,  
 haud pigebit. Notissimum est, quod de Imperatore  
*CONSTANTINO MAGNO* perhibetur, eum scilicet,  
 cum aemulo imperii *Maxentio* praelio, quod instabat,  
 congressurum, paulo post meridiem in caelo vidisse  
 crucem cum hujusmodi inscriptione: *Hac vince*; refert-  
 que *EVSEBIUS*, se hanc Historiam a victore Augusto  
 accepisse, eumque sacramenti religione sermonem  
 confirmasse, putatque proinde hic Episcopus, neminem  
 futurum, qui de hoc facto dubitet (a). Attamen minus  
 probabilis est haec crucis coelestis apparitio, Constantino  
 facta, & nisi Eusebius ipse, quamvis ab Imperatoris  
 ore

ore hoc accepisset factum, de eo saltim in initio dubitasset, nulla suberat ratio, quare Constantinus M. illud jurejurando confirmaret; certe qui citra necessitatem jurat, ut Imperator tunc fecit, illius juramentum in probationis vicem nisi a nimis credulo, non assumitur. Et cur, quæso, Imperator hæsitantem Eusebium non ablegat ad suos vel amicos vel milites, totidem testes oculatos, ut ab his veritatem istius facti sciscitaretur. Sed quod pro fabula hanc narrationem ipse habuerit Eusebius, inde dilucide patere arbitramur, quod Constantini M. de Maxentio reportatam victoriam exponens, de cruce in coelo conspecta nihil memoret (b) hoc est, nihil sciat, utique sciturus, si scivisset cum Imperatore universus exercitus. Sequentibus abhinc seculis sicut ignorantiae caligo non decrevit; ita quidam scioli male seduli perrexerunt in confingendis ac promulgandis Sanctorum suorum miraculis. Evolvantur solummodo *Officia propria Patronorum regni Sveciæ*, a sacra rituum congregatione examinata, & a Doctissimo Cardinale *BELLARMINO* revisa & probata, in quo libro narrationum, magis ex simplicitate, quam ex pia fraude profectarum, ingentem reperiemus farraginem. Certe nisi Auctor hic, inter primipilares Ecclesiæ Romanæ promachos habendus, ex supersticiosa laborasset credulitate, serio inter alia admittere non potuisset, quæ de *DAVIDE*, Westmannorum Apostolo, perhibentur: Quod scilicet cum jam partim præ senio, partim ex frequentibus lacrimis, in oratione profundi solitis,

*solitis, oculi ejus caligarent, radium solis per fenestram intrantem forte conspicatus, & paxillum esse ratus, in eo chirothecas appenderit, quas porro servus, ut afferret indigenti, missus, in radio solis, ut erant, invenerit pendentes (c). En igitur coecum, non recuperantem visum, sed in sua caligine videntem radium solis per fenestram intrantem. Nec aliud, allatis simile, reticendum est credulitatis exemplum. Scilicet inter Romanenses percrebuit fama, a multis credita, quod illo die, quo Imperator CAROLUS V Protestantas ad urbem Muhlberg in Misnia superasset, sol, sicut tempore JOSUÆ, per plures horas steterit immotus. Cujus autem rei veritatem quum a Duce Hispaniæ de ALBA, qui Cæsareas copias illo in prælio duxerat, quæreret Galliæ Rex HENRICUS II, tale tulit responsum: *Qu' à la vérité tout le monde contoit cette merveille; mais qu' il avouoit à Sa Majesté que le soin des choses, qui se passioient alors sur terre, l'avoit empêché d'observer ce qui se faisoit au ciel;* quod sicut subridens dixit, ita haud obscure significavit, quo loco illa narratio esset habenda (d).*

(a) Vid. *Eusebii Libr. I. de vita Constantini Cap. 28.* (b) Vid. *Ejusd Histör. Ecclesiast Libr IX Cap. 9. D: nus le BEAU Histoire du Bas Empire Tom I. p. m. 149. seqq.* adfert argumnta opinionum de Cruce, a Constantino M. in coelo, visa, tam confirmantia, quam ei adversa, suum vero suspendit judicium. (c.) p. 21; item *VASTO-VII Vitis Aquilonia p. m. 49.* (d) Vid. *OEUVRES DE LAMOTHE Le VAYER Tom VI. part. II. p. 244. §. IV.*

Ignorantiæ & huic innexæ superstitioni tribuendum, quod multi, olim præsertim, crederent, rariora

naturæ phænomena esse totidem prodigia, eventuum memorabilium, propediem futurorum, prænuncia. Si enim vel Heros quidam vel Princeps e vita migraret, ejus obitus infolito modo antea denunciari putabatur; nam ut hominibus mediocris fortis demortuis in exsequiis sæpe præferuntur tædæ aut cereæ candelæ; ita Regis aut Principis funus ex creduli vulgi opinione præcefferunt cælestes faces seu cometæ, in cælo apparentes, & publicam calamitatem, propediem instantem, prænunciabat deficiens in eclipsibus solis aut lunæ lumen. Enimvero Astrologiæ judicariæ præsumptiones, quibus nihil fere vanius, in causas factorum perperam & contra rei naturam ita vocabantur. Quod vero non vulgus solum, sed melioris etiam notæ Historici prodigia non profus contemnenda esse censuerint, vel inde apparet, quod eadem sollicite collegerint, collectaque suis inseruerint scriptis (a); eadem forte prætermisuri, si majorem naturæ habuissent cognitionem & scivissent, pleraque phænomena naturalia ad calculum a nobis revocari posse, factorum autem providentiam eludere omnem hominum industriam. Causa autem, cur prodigiorum, quæ nunc fere ignoramus, feracia fuerint superiora secula, hæc fuit non ultima, quod hominum animi continuis bellis, & quæ hæc comitantur, periculis distinerentur, ipsorumque sensibus imaginatio proponeret factorum species, quas reapse nec viderant, nec audiverant, quamvis hoc vel illud crederent.

(a) Vid. *Job. Schefferi Memorabilia Sueticæ gentis Cap 2, item ISOGÆI Carla Segersköld Cap. 18*; præter ingentem aliorum scriptorum numerum § V.



## §. V.

In antiquitatibus Gentium, earumque præcipue originibus, explicandis non raro accidit, ut Scriptores visa pro compertis, ne in re obscura aut ambigua nihil attulisse culpentur, suis proponant Lectoribus; quo autem modo fucum sæpe faciunt credulis, imo eis, quibus non datur occasio, memorabilia ista rite expendendi. Natio etiam, quæ factis, admiratione posterorum dignis, inclaruit, Scriptoribus, inclytos, imo augustos ei natales tribuentibus, impense favere solevit. Quare etiam *Livius* in Præfatione operis sui Historici: *Datur, inquit, hæc venia antiquitati, ut miscendo Divinis humana, primordia urbium augustiora faciat.* Ipse quoque originem Romanorum a Trojanis, quibus vix alia gens clarior & in priscis monumentis magis celebrata occurrit, tribuit, quæ quidem opinio non solum Populo Romano perplacuit, sed etiam Senatus consulto, Imperatorumque mandato fuit confirmata. Qui vero calculos accuratius subducunt, existimant, *NÆVIUM* fabulam istam excogitasse ducentis ante Virgilium annis. Potius igitur assentiendum *SAMUELI BOCHARTO*, Auctori gravissimo, pluribus docenti argumentis, omnem illam Trojanam originem, Romanis vulgo assertam, nec non *Æneæ* in Italiam adventum, fabulis ejusmodi esse annumeranda, quibus obscuros suos natales facere illustriores fategerint Romani(a). Et licet plerique antiquorum Scriptorum Nævianam adoptaverint hypothesein, eorum tamen in hoc argumento consensus non rem ipsam, sed numerum potius errantium probat.

Notum quoque est, Antiquariorum nostratium quosdam in tradenda Gentis Svio Gothicæ origine eo usque fuisse regressos, ut a *MAGOGO*, quem proxime post diluvium vixisse constat, eam deducerent. Inter hos Scriptores *JOHANNES MAGNUS* (b) & *JOHANNES MESSENIUS* (c) habentur primipilares, qui ne fumum sciendi cupidis vendere viderentur, profitentur, se ex veterum carminibus, ex inscriptionibus in faxis occurrentibus & ex vetustis documentis sua confecisse opera; quum vero isti fontes in ipsis libris nusquam citentur, negligentia illa sublestam reddit factorum narratorum fidem. Attamen quum hi Dumviri auctoritate inclaruerint, credulos multos invenerunt lectores, majoribusque nostris, criticæ limæ defectu, multa præter rem fuerunt afficta.

- (a) Vid. *dissertationem, quæ inscribitur: Num Aeneas umquam fuerit in Italia? In Pbaleg & Canaan p. 1063.* (b) Vid. *Hist. Gothor. Sveon. Præfat. Cap. VIII* (c) Vid. *Epist. Dedicat. ad Regem gl. m. GUSTAVUM ADOLPHUM Scandiae Illustr. Tomo I. præmissam.*

§. VI.

Vitas magnorum Virorum posteris traditurî, illis singularia & quæ vix fidem, nisi a credulis inveniunt Lectoribus, immiscerent Histõrici, veriti, ut videtur, ne eorum attentio deficiat, si hanc mirabilibus in medium allatis subinde non excitarent. Sunt enim, ut pridem observavit Seneca: *qui incredibilium relatu commendationem parant, & Lectorem, aliud acturum, si per quotidianam duceretur, miraculo excitant* (a) Infantiam Heroum, tempus, quo aliorum ope maxime indigemus, tot periculis

lis

lis fuisse expositam narrant, ut infra humanam dejecti conditionem videantur, succedente ætate ad gloriæ culmen, invita quasi fortuna, sed suis meritis adscensuri. In vulgus fere notum est, quod de **CYRO**, primo Persarum Monarcha, bona, ut opinor, fide, perhibet **JUSTINUS**(b), eum scilicet, recens natum, ex mandato Avi **ASTYAGIS**, Medorum Regis, expositum fuisse, parvulo autem ubera præbuisse canem feminam, quæ alumnum suum a feris & alitibus defendit. Æque duro infantia initio usos fuisse Romæ conditores, *Romulum & Remum*, fratres gemellos, ex communi refert fama *Livius*, tradens, eos ex truculento Amylii Regis mandato in Tiberin projectos, sed mox in siccum pervenisse, eisque lupam accurrentem submissas adeo mitem præbuisse mammæ, ut lingua lambentem pueros Magister regii pecoris invenerit(c). Tolerari utcumque possent hæc aliæque similes narrationes, licet probabilitate destitutæ, adeoque ad Historias non referendæ, si his intendant Auctores ostendere admirandam omnino Dei curam in moderandis hominum fati; qui autem vel ex credulitate vel ex partium studio monumenta Historica ita pervertunt, ut innocentium fama velut cauterio notetur, gravissimam merentur censuram. Cujus rei quam plura in medium adferri possent exempla, unico tantum sed eodem fati illustri, impræsentiarum erimus contenti. In Historia Patriæ pessime audit Sverthiæ Rex, **MAGUS ERICI** filius, **SMEK** cognominatus, cum ob alia crimina, tum quod ejus conjux **BLANCA**, ipso non infcio, filio successori **ERICO** & hujus conjugii **BETRICI**, inter convivii hilaria venenum propinaverit, quo hoc conjugium par fuit extinctum(d). Jam vero plene est evictum, Principem hunc contagiolo morbo, sed sicca tamen morte occubuisse, famæque Regis **MAGNI** maculam ideo a Monachis Historicis fuisse ad-

spersam, quod horum conditionem intra honestæ modestiæ terminos redigere conaretur (e).

(a) Vid. *Quæstion. Natural. libr. VII. Cap. 16. p. m. 786* (b) Vid. *Historiar. libr. I. Cap. IV.* (c) Vid. *Hist. Libr. I. Cap. IV.* (d) Vid. *Nob. DALINI Histor. Svec. Tom. II. p. 526* (e) Vid. *Nob. LA-GERBRING Histor. Svec. Tom. III. p. 455 & seq.*

### §. VII.

Antequam finem huic imponimus disquisitioni, unicam addere liceat observationem, ne credulitatem in studio Historico esse vitandam, docentes, in opposita Scepticorum castra transiisse judicemur. Nimirum si quis Auctor, ne populares opiniones proterve impugnasse censeatur, aliquid minus probabile in suum admiserit scriptum, ejus tamen commentarii, ut futiles nugæ, propterea illico non sunt contemendi. Est enim hoc vitium plerisque Historicis adeo commune, ut ab eodem prorsus immunem reperiamus forte neminem. Rejjiciamus incredibilia, sed retineamus ea, quæ cum fide Historica fronte adversa non pugnant. Sequamur veteres, simili in causa nobis præeuntes. *THUCYDIDES* invenit Scriptores, fabularum plenos, multum peregrini, multum insoliti trahentes, per saxa & fyrtes ruentes; hos tamen non contempsit, sed factis rerum causarumque examine, judicio suo tantum, quantum existimavit in rem suam fore, deprompsit. Esto, quod in factorum narratione subinde occurrant extraordinaria, & quæ humanam superare videantur conditionem, non tamen illa sunt propterea penitus rejicienda; nemo eeim adhuc exponere potuit, quousque hominis potentia, faventibus loci, temporis, statusque agentis circumstantiis, se extendat. Et licet causæ quorundam factorum ne quidem post sæculorum decursum indagari potuerint, eadem tamen, utut extraordinaria, in dubium non sunt vocanda. Sed hæc longius prosequi, instituti nostri ratio non patitur.